NOVAE EPHEMERIDES MOTVVM SOLIS

Ab Anno 1664. vſque ad annum 1670. completum

A PETRO PALATIO BRIXIENSI

Ad longitudinem Almæ Vrbis ſupputatæ.

Vnà cum Cæli mediationibus, Condeclinationibus ab Æquinoctiali, atque Ortibus, & Occaſibus Stellarum Fixarum Illuſtriorum cum Sole ad Polarem Eleuationem grad. 42.

Secundum Tabulas Romanas motuum Solarium, & Stellarum fixarum Prodromi Franciſci Leueræ.

QVARVM VERITAS

In Præfatione harum Ephemeridum plenè confirmatur.

ROMAE ANNO MDCLXIV.

Typis Angeli Bernabò. *SVPERIORVM PERMISSV.*

Imprimatur. Si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sac. Pal. Apost.

O. Caraffa Archiep. Patracen. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apost. Magister, Ord. Prædicatorum.

EMINENTISS. PRINCIPI

DECIO AZZOLINO

S. R. E. CARD. AMPLISS.

OLEM, cuius ſplendoris, & virtutum vires, vſque ad intima Terrenæ molis viſcera penetrant, & ad cuius imperium Planetæ omnes ſuos inceſſus moderantur, Eminentiæ tuæ reuerenter offero, vt tuorum ſex ſyderum ſplendoribus circundatus, adhuc clariùs fulgeat in Orbe Terrarum; motus enim huius luminaris maximi ad hanc vſque ætatem, non integrè clarus, ſed quodammodo obſcurus; eiuſque motus Ephemerides, quas ſupputaui cum ortibus, & occaſibus illuſtriorum ſyderum, eorumque cum Sole condeclinationibus ab Aequinoctiali, Cælique mediationibus, ex nouis Tabulis Romanis Leueræ; ſub patrocinio Eminentiæ tuæ, tuiſque auſpicijs in lucem meritò prodire cenſui; qui non tam ſacrarum, & humanarum literarum, diuerſarumque linguarum, in quarum ſtudio egregiè imitaris S. R. E. Cardinales Hieronymum, & Decium Azzolinos Gentiles tuos, nec non Laurentium Epiſcopum Narnienſem à Secretis Principum Vrbani VIII. Pont. Max. tuum Patruum; verum etiam Mathematicarũ ſcientiarum, & Profeſſorum huiuſmodi Diſciplinarum, amantiſsimus ſemper fuiſti; & qui eoſdem S. Eccleſiæ Antiſtites, cæteroſq; generoſæ tuæ familiæ ſtrenuos, nobileſq; viros, non ſolum exęquaſti, ſed fermè excelluiſti, tùm in rerum gerendarum prudentia, & regimine vitæ, in quibus te ſemper ab adoleſcentia velùti ſenem admirabiliter exhibuiſti; tum in arduis negocijs à Sum-

mis Pontificibus perſpicaciæ,& fidelitati tuæ creditis,& commiſsis, atque etiam in ingenij felicitate, animique candore, modeſtia, humanitate, & erga Deum pietate, ac religione. Propterea ductus ab his virtutibus eximijs, quibus tanquam Stellis fulges inter omnes, hæc mea in Mathematicis primogenita ſtudia humiliter conſecro, & precor, vt ea, qua ſoles benignitate,amplectaris;cum in his ſingillatim agatur de temporibus Feſtorum mobilium, & potiſsimum Paſchalium, & de temporibus Aequinoctiorum,à quorum perfecta cognitione dependet tota Doctrina Computi Eccleſiaſtici, & exoptatiſsima inuariabilitas anni Gregoriani, ex decretis eiuſdem Greg. XIII. Pont. Max. & Sac. Concilij Nicæni, & Sac. Concil. Trident. quorum decretorum executio, & doctrina propria, & peculiaris eſt Eminentiæ tuæ, tanquam S. R. E. Cardinalis, quem Deus proſperet, & conſeruet diù ad publicum S. R. E. beneficium, Romæ 10. Kal. Iulij 1664.

Eminentiæ Tuæ

Deditiſſimus, & Obſequentiſſimus

Petrus Palatius.

AD

AD LECTOREM
TYPOGRAPHVS.

VM editio Prodromi, & Tabularum Romanarum; vbi continetur adinuentio Periodi motuum Solarium, & Stellarum inerrantium, atque integra doctrina, & praxis Reuolutionum, & Reuersionum eorumdem Corporum cęlestium; in dies magis excitaret Astronomiæ studiosos ad fructum, & vtilitatem aliquam exinde capessendam: Idcirco hę Ephemerides conditę sunt in gratiam Studiosorum, & prę sertim Professorum Medicinę, Nauticę, & Agriculturæ, eorumque qui de aeris mutationibus prognostica singulis annis edunt, vt ortibus, & occasibus stellarum inerrantium illustriorum cum Sole vsu, & experientia comprobatis, earum veritas cunctis innotescat, ijsdemque vtiliter fruantur. Quis autem sit dictarum Tabularum author, eius Prodromus, & opera iam edita ostendunt, & cum eis vndecumque Gentium, & locorum affluentes literę, & eloquia egregiorum, & prę stantium Virorũ, qui vel diuersa, vel contraria Prodromo in lucem non prodierunt, eaque omnifariam sustinere curent. Inter quas literas, quoniam hisce Ephemeridibus sub prę lo sudantibus hoc mense Augusti, peruenerunt Vlissipone duę literę exinde scriptæ à duobus eximijs Viris in his, alijsque scientijs, & disciplinis versatissimis, & Conimbricensi scholę addictis; Propterea instanter petij à Leuera, & obtinui, vt has duas literas typis mandare possem, veluti hic infra editas exhibeo; vt ab his quoq; manifestum, notumque fiat, qualia sint, & quanti ponderis, & publicæ vtilitatis studia, labores, & opera Leuerę iam in lucem edita, atque edenda. Vale.



EXCELLENTISSIMO VIRO
FRANCISCO LEVERAE
ROMANO.

IV est, Excellentissime Vir, incomparabilis Astronome, Italiæ sempiternum decus; quod Solis, Syderumque cursum, si non vano labore, certè tamen felici parum, adhuc tentatum, spe propemodum omni quasi destituti, inassequibilem deplorauimus; Et quo magis præter antiquos, Eminentissimi nostræ ætatis Choriphæi in hoc opere insudarunt; & dum quisque propius collimasse, aut perspiciam sibi habuit, aut persuadere aggressus est, tamen nullus fuit voti compos, eò creuit amplius testimonium, & spes omnis ferè decidit non assequendæ veritatis. Mirati sumus diligentiã Hipparchi; Ptolemęum excepimus quasi è Cælo delapsum; neque ei secundu in serutatione motuum cælestium Albategnum: Habuit præclarissima hæc scientia Alphonsum Mecænatem; Copernicum Assertorem: quid de Tycone dicã, cui debet vera, certa, exploratagque omni integritate principia sua, tanquam à fundamentis restaurata. A Tycone floruerunt Keplerus, Lansbergius, cęterique: Et nihilominus in varias distracti opiniones, & calculos, impossibile erat, vt coinciderent theses, quarum differrent hypotheses. Neque verò differre haud poterant, quæ omnes à veritate aberrabant, veluti planetarum non est semita in ecliptica, quibus alia ab illa norma est. Quantum verò incommodi, damnique omni æuo attulerit humano generi insufficiens hic ausus humanorum ingeniorum, non melius quam à te ipso acceptum habuimus; & quanto animorum tormento: Mihi quidem dum sæpius cum famoso illo Astrologo Valestaini, conciue meo Ioanne Baptista Senio, studia hæc conferrem, illud contigit, vt visa opinionum inconstantia, varietate calculorum, deploraremus, tam pręclaræ, iucundæ, vtilissimæ, perneccssariæ, scientiæ infelicitatem, quod necessum esset de tempore concludere, cuius nescirenus mensuram; verè ideo impracticabilem asserebat mihi Vir ille eximius, quousque nouus aliquis Hercules vastam Cæli molem exciperet ab humeris Atlantis, nobisque inclinaret ad

videndum; & quasi à se abdicabat tanquam millies non in iudicijs illusus, sed in calculis. Vidi ego præ manibus illius natiuitatem Valestaini, illique circumpositas figuras Cęsaris, Regis Suecici, Hispaniarum, Vngariæ, Electoris Saxonici, Bauarici, nonnullasque alias vna cum directionibus ne dum proprijs, verum etiam singulorum ex relatis planetarum tum beneficorum, cum maleficorum, ad suæ figuræ loca principalia; atque ex his auspicabantur, præsagiebantque illi successus Ducis, & non fallebantur in vniuersum in iudicijs, si tempora adimamus. Enarrabat ille mihi varietatem successuum Valestaini, & præcipuè congressuum cum Rege Sueco, qua ratione persuasum sibi habuisset tentare cum eo fortunam Martis, quem Martem credidisset Gentilitas, quod Astra pugnarent contra vitam illius, certisque discriminibus facerent obnoxium. Sed neque de morte violenta ipsius Valestaini ferè dubitabant, & à lapsu temporum ponderabant dubietatem, cum sanè ille directionem imminentẽ iam præterijsse autumaret; Senius verò nequaquam, & erat præcipuè dissidium inter eos de paucorum mensium intercapedine, quod dirimere non poterant ex discrepantia calculorum, vndè versabantur in angusto, & crescentibus in Cæsare suspicionibus, augebatur anxietas, artisque increpabant defectum; vnde neque ille tandem spem deponere suaderetur, neque hic deliberatè quicquam effari. Quomodo igitur in tanta hominum angustia non erat lugendus tam insignis defectus nobilissimæ scientiæ; penes quam, quod magis intererat, incertum esset? Quomodo fides danda directionibus, quas nesciremus, vnde inciperent, & quò finem sortirentur? Quomodo reuolutionibus, in quibus lateret verus locus Solis, essetque vitium in Radice ipsa? Quis non ideo detestaretur amissos labores, studia inutilia, vanos ausus, iucunditatem, vtilitatem subreptam, spes frustratas, quæ tot, tantosque insignes Proceres, præclaros Artifices, consumatissimos Viros, sublimissima ingenia Nationum omnium, ad hanc vsque diem, & per tot secula fefellissent?

Cum autem ipse quoque iam nulli scholæ amplius addictus artem penè despicerem, atque inter Olyssipponenses in vltimis terræ finibus positus, eo longius me à recto tramite aberrare censerem, quòd apud gentem incuriosissimam minus esset, quod sperari posset; oblatus mihi fuit insperatò ab amico Octauio Falcuccio liber tuus Prodromus Astronomiæ restitutæ: Hæsitaui primo aspectu, licet perculsus nouitate operis; & pene spreui vanitatem Tituli, quem alij anteà sibi iniuria vindicassent, adductus credita impossibilitate adinuenti, sed tanquam is, qui anxiè quærit thesaurum, cuncta rimatur, vt vota impleat, auiditate optatis æquali, satis ad interiora oculos conuerti. Et sanè admirabilẽ statim illam theoricam animaduerti in metiendo tempore motum, & motu tempus, tam constanter probatam, & patefactam, iam-

que

que concepta ſpe, & neſcio qua exhilarantis animi dulcedine commotus, conieci oculos in arcana illa recondita, inexplorata, incredibilia Solaris curſus: obſeruaui hypotheſes, theſes, calculos, & eorum omnium admirabilem harmoniam Epocharum, Tabularum. Vidi reuolutiones illas tres Solis, nobis penitus è Cælo delapſas, certiſſimam additionem horarum 5. 48'. Graduum 87. in vnum æquè conferentes; Illam annorum 120. nulla titulorum dignitate æquandam: Radices illas abſolutiſſimas Solſtitiorum, Æquinoctiorum, Cæloque ipſi coæternas. Quid plura? quantum nobis mortalibus dicere fas eſt, vidi Cælos apertos. Oh rem glorioſam noſtri ſeculi, inuidiam Præteritorum, admirationem Poſterorum.

Sed, vt nullum eſt in humanis gaudium vndequaque integrum, ità & hoc tuum feliciſſimum adinuentum, quanto mentem admiratione implet, & iucunditate, tanto torquet, & anxietudine percutit ex defectu cæterorum, quæ promiſiſti. Iam ſtatim verſatur ob oculos diſcrimen, nè in lucem prodeant, vndè æqualis iactura commodum anteuertat; inconſtantia humanarum rerum; inuidorum malitia; velox, lubricuſque vitæ curſus; fatiquè ſemper inſtantis valida vis, & præcipuè in annoſis. Oh faxit Deus, non tibi quæſtionem moueat ſenilis ætas, quin complementum hæreditatis tuæ in Rempublicam literariam conferas, & diutiſſimè ſuperuiuas. Iacet hæc ſcientia tam celebris, atque iucunda ante tot ſecula cum ſapientibus Ægyptijs ſepulta, penes quorum corda tanquam in Ærario fuit depoſita in ſecretum Theſaurum; atque hactenus nullo labore Aſtrologiæ Principum, nullis vetuſtæ ætatis obſeruationibus, ingeniorum ſublimitatibus reparari potuit: ſi hoc fieri poſſit, non aliundè, quam à te ipſo nobis hoc ſperare fas eſt. Ecquis enim certa fundamenta ſcientiæ huius præter te attigit, iecitque? Ecquis admirabilia principia illa protulit præter te, aut ſomniauit vnquam? Ecquis itaque cætera, quæ præcipuè ad Aſtrologiam pertinent, eſt, à quo ſperare poſſimus? Age igitur incomparabilis Magiſter, & nobis aſſere ex aſſe hæreditatem tuam, permittaſque me etiam, licet tibi ignotum, atque ità diſſitum loco, quàm deuotione tibi proximum, addictumque, obſecrare, vt rupta omni mora Gentium omnium expectationem compleas, & vota. Et multum debebimus Hipparco, Ptolemæo, Albategno, Alphonſo, Tyconi, cæteriſque ex his, quæ ſinguli ſeorſim Poſteritati tradiderunt: Tibi verò omne id totum, integrumque ſupra Hipparchum, Ptolemæum, reliquoſque, quod neque illi aſſequuti ſunt, neque quiſpiam alius ſine manifeſto afflatu Diuini luminis eſſet vnquam aſſecuturus; ſcientiæ fundamentum, complementum, ſigillum, ædificium integrum, Regiam Solis ſublimibus altam columnis, nouam Mathematicorum Principum

pum

pum Pantheon tuo nomini perpetuò erectam, constitutam, consecratam supra cæteros,

Amicus Octauius deuotionem erga te meam hisce literis oblatis attestabitur, notitiam aperiet liber meus nunc in lucem prodiens, quem tibi offerri statim mandaui. Vale interim, & diutissimè vale. Vlyssipone Kalendis Iulij 1664.

Addictissimus tui

Carolus Antonius Paggi.

IL-

ILLVSTRISSIMO VIRO
FRANCISCO LEVERAE
ROMANO.

EGO certè mirabilis tui Prodromi, prodromis mirificè afflatus, cogor abrumpere ingenitum mihi modestiæ vinculum, & iter ad amicitiam tuam struere: hoc iussit amor, illud opus suasit, & admiratio tui, quæ non iam apud me solum, sed & apud omnes, in quos scintilla aliqua diffusæ lucis melioris. Cęterum, quia non tam ex aliorum sermone, quam ex mea opinione mihi persuasi, te eum esse, qui omnes tibi, ac virtuti tuæ deditos nullo vnquam tempore reijceres; eapropter has nunc ad te literas amoris duntaxat, atque obseruantiæ in te meæ testes esse volui, quas, ob subitam cuiusdam isthuc proficiscentis, exaraui. Spero tamen fore, vt reliquum meum erga te studium boni consulas; nam prętęr hanc scribendi diligentiam, nullum à me, tum beneuoli, tum obseruantis amici officium prętermissum puto. Siquidem quo primum tempore tua mihi, & scientia, & humanitas innotuit, fui, & ero semper honorum, ac dignitatis tuæ studiosissimus, ac sępissimè apud alios in paucis scientiarum cultores, & apud nostrorum Principes de te sum honorificè locutus: quo fit, vt non dubitem, me abs te in eorum amicorum numero collocari posse, qui vt Isocrates asserit, non tam pręsentes amicos venerantur, quam absentes etiam amplectuntur. Iam verò, licet omnia scias, vnum, vel alterum scire desideras, scribentis personam, & eius de te iudicium: hoc tu solus comprehendere poteris; illud facilè percipies, vel ex ipsa barbara scribendi norma, quæ nec vmbram adumbrat antiqui magisterij: Integrum enim solarium cyclum Conimbricæ triplici Philosophiæ, sacrorum Canonum, ac Theologiæ laurea insignitus, transegi, & quadraginta ab hinc annos, Mathematicis disciplinis, mente, & animo totum me tradidi: fateor tamen ingenuè, me iam nihil scire; sed si aliquid, hoc vnum scio, te ità harum scientiarum verticem attigisse, vt sis commune Terrarum documentum, & amor singularis vniuersorum, simul omnium vultus, simul affectus omnium in te conuertis; quæ enim

Pro-

Prodromo ſcribis, omnes oculi diligunt, omnes animi vident. Ego in primis, qui oculos tuarum Demonſtrationum aſpectui ritè conſecrauí, timeo, ne contaminentur, ſi aliorum amplius ſcripta voluerint intueri: enim vero Mathematici reliqui tyrocinia quędam proludentis artis fuerunt, quæ in Hipparco, Ptolemęo, Copernico etiam, & Tycone prima tui rudimenta, iacebat, & incohabat in ijs, quos magnos appellauit Antiquitas, quod in te omnium maximo erat aliquando feliciùs perfectura; faterentur enim vltrò, ſi viuerent, ſua faſtigia, vix eſſe tuæ fundamenta ſcientiæ; quid plura? tu hoc vno te laudari prohibes, quod laudem omnem ſuperaſti, dum infuſam à Deo Protoparenti Adæ Aſtronomiæ ſcientiam, nobis demonſtrando, feliciter reſtituiſti. Et ſi motus eſt menſura temporis, vt tempus menſura motus, vt optimè ex Philoſopho deducis; fama etiam ex Virg. 4. Æneid. mobilitate viget, vireſque acquirit eundo; tui ſingularis Prodromi fama aſtrorum motu, & tempore perennabit.

Age ergo, & dic plena fide, non vt aſſeris de Epochis; Radix, ſeu Epocha vetuſtiſſima; ſed vt eſt Radix, ſeu Epocha Orbis conditi, ſeu creationis Mundi, ingreſſuſque Apogęi Solis in ♈, facilè enim certò, & euidenter hoc demonſtrabis ex quinque Tabulis de annis Mundi, Auctore Ioanne de Roa Dauila, Romæ apud Gulielmum Facciottum MDCX; vbi optimè ex ipſamet ſacra ſcriptura colligit Chriſtum natum anno ab Orbe condito 4072. tu verò, ex vero Apogęi Solis motu, deducis fuiſſe 4142. & meritò, quia addis annos 70. quos, vt ex multis refert Abulenſis, & videre licet etiam in gloſſa *Partit.* tomo 1. in Prologo §. Hebraicos. litera hebraica tacuit, & Adam tenuit in plantu pro Abel filio ſuo. Multa tamen prætereo, quæ de Solis vera declinatione ſubnectere potuiſſem. Adderem tamen cap. 20. fol. 398. column. 1. fine; quod Seth filius Adæ fuerit primus, qui impoſuit nomina ſtellis, vt ex Ioſepho lib. 8. antiq. cap. 2. refert Octauianus de Tuſo Neapolitanus in Cõmentarijs Eccleſiaſtici fol. 11. cap. 2. Tandem ſcias Vlyſſipone veram altitudinem poli eſſe gr. 38. & min. 39'. longitudinem vero eſſe gr. 15. & min. 30'. vt per Eclipſes obſeruaui. Vale Vlyſſipone 16. Iulij 1664.

Tuus obſequentiſſimus

D. Antonius Pimenta.

SA-

SAVINII MVTI
PRAEFATIO.

EPHEMERIDES motuum Solis proximè sequentium septem annorũ, ab anno præsenti 1664. per totũ annũ 1670., quas ex Radicibus, & Tabulis Romanis in Prodromo Leueræ exaratis supputauit Petrus Palatius Mathematicarum studiosissimus, tam in veracitate motuum Solis, quàm posituum diurnorum eiusdem Solis in quacumque Zodiaci particula, & scrupulis primis, præstantissimæ futuræ sunt omniũ, quæ in cunctis seculis in lucem prodiere, Ephemeridum Solarium: nam nemini Astronomorum, neque Vranometrarum, ad hanc vsque ætatem, comperta fuit Anni cælestis magnitudo vera, & quod in supputationibus quorũlibet locorum Solis per quascumque Tabulas, & radices fiant, necesse sit diligenter considerare differentiam æquationis Centri Solis, resultantem per motũ Apogæi Solis diuersificatum in eadem longitudine media Solis à tempore cõstitutionis dd. Radicum, & Tabularum, vsque ad tempus loci Solis, qui quæritur per easdem Tabulas: Ne alioquin locus ille Solis quæsitus, semper sit erroneus per tot minuta, quot importat dicta differentia æquationis Centri Solis, veluti diffusè docet Leuera in Prodromo cap. 9. à pag. 205. col. 2. ad pag. 208. & pag. 218. col. 1. & infra dicam latius in c. 5. & vlt. huius præfationis.

CAP. I.

De ijs, quæ in hac Ephemeride noua, & inconsueta ratione digesta sunt, & primò, De mediationibus Cæli, Ortibus, & Occasibus stellarum fixarum cum Sole.

SVPPVTAVIT Palatius mediationes Cæli, quamplurium Stellarum fixarum illustriorum ad annum 1664. & sequentes; easque mediationes Cæli, quæ cũ Sole contingunt in singulis mensium anni diebus descripsit propter earum vehementiam in elementis, & præsertim in aëris, & Oceani commotionibus, teste Ptolemæo in lib. 1. quadrip. c. 1. & in lib. 2. quadripart. cap. 6. vers. stellarum autem fixarũ, & cap. 11. eiusdem libri secundi; præferendo Cæli mediationes tanquam toto terrarum Orbi vniuersales, & vbique æqualiter afficientes aërem, aquam, & terram: Deinde supputauit stellarum fixarum pariter illustriorum Ortus, & Occasus ad eleuationem Poli Almæ Vrbis: qui licet afficere non valeant vniuersaliter in toto Orbe Terrarum, quemadmodũ Cæli mediationes, scilicet ortus recti; tamen afficere valent omnes alias Vrbes habentes eamdem Poli eleuationem. Hos autem ortus, & occasus, qui cum Sole in singulis anni diebus contingunt pariter descripsit ob earum vim, & vehementiam in aëris commotionibus, teste etiam Plinio in lib. 2. hist. nat. cap. 39. & 40. & potissimum quando contingit,

vt

vt Sole oriente, vel occidente cum aliqua ſtella fixa illuſtri, tunc quoque mediet Cælum altera ſtella fixa illuſtris, vel Planeta, aut ſi contingat, vt mediante Cælum Sole cum aliqua ſtella fixa illuſtri, tunc oriatur, vel occidat altera ſtella fixa illuſtris, ſeu Planeta, de quibus ortibus, & occaſibus Leuera in Prodromo cap. 19. pag. 390. & plene in cap. de Aſpectibus horizontalibus, eorumque viribus, ſucceſſiuè edendis in lucem; & maximè ſi dd. ſtellæ ſint de ſui natura procelloſæ, & tempeſtuoſæ, veluti ſunt Orion, Arcturus, Virgiliæ, Canicula, quæ non ſolùm flatus, imbreſque excitant, & ſerenitates, & frigora, ac tepores ſolent afferre, ſed etiã alterationes temperamenti corporum, vt ſcripſit Ariſtoteles in problemat. ſect. 1. probl. 3. dum inquit, Quamobrem cum tempora euariant, ratio tunc valetudinis habenda diligentius eſt, &c. Vna enim cum temporibus ventriculi in hominibus mutantur, ſecundum Hippocratem in lib. de aere, aqua, & locis, & Galenum quoque in lib. de Criſi, & diebus decretorijs.

CAP. II.

De Condeclinationibus ab æquinoctiali ſtellarum fixarum cum Sole.

NOTAVIT Petrus Palatius ſigna, gradus, & minuta Zodiaci, cum quibus declinant ab æquinoctiali ſtellæ fixæ illuſtriores, quarum declinatio nõ excedit gradus 23. 31′. 30″. ſcilicet Eclipticæ obliquitatem; eaſque declinationes fixarum, quando cum Sole contingunt in ſingulis anni diebus, pariter deſcripſit, & vocauit condeclinationes earum cum Sole propter inſignes vtilitates, quæ ſimiliter proueniunt à notitia huiuſmodi condeclinationum cum Sole in re Medica, Nautica, & Agricultura, vt plenè tradit Leuera in cap. de Condeclinationibus ſtellarum, & Planetarũ ab æquinoctiali, ſucceſſiue edendis in lucem; nam huiuſmodi condeclinationes æqualiter, atque vniuerſaliter afficiunt cuncta ſublunaria in toto Orbe terrarum, quia vim habent coniunctionis, veluti mediationes Cæli, vt refert Montereg. in Tab. Directionum probl. 22. & latè Leuera tradit in cap. de Condeclinationibus ſtellarũ, & planetarum, ſucceſſiue edendis in lucem. Et ſicut datur promiſſio radicalis à quolibet dato Exordio, ſeu Radice planetarum & ſtellarum ſecundum poſitum earum reſpectu Polorum Zodiaci, & ſimiliter ſecundum poſitum earumdem reſpectu Polorum mundi Zodiaco relatiuum, ſeu per Cæli mediationem: Ita datur promiſſio radicalis ſecundum poſitum earumdem reſpectu Æquinoctialis Zodiaco relatiuum: & ſicut afficiunt per motum Directionum aduentus vnius Planetæ promiſſoris ad locum alterius Planetæ ſignificatoris reſpectu Polorum Zodiaci, & Polorum mundi Zodiaco relatiuum: Ita afficiũt per motum Directionũ aduentus vnius Planetæ Promiſſoris ad locum alterius ſignificatoris, reſpectu æquinoctialis Zodiaco relatiuum, & longè vehementius, quando huiuſmodi condeclinationes habent vim coniunctionis, vt latè Leuera in dicto cap. de Condeclinationibus ſtellarum, & planetarum: veluti potentiſſime afficiunt quoque Elementa, & ſtatum aëris, & Oceani alterant, & commouent huiuſmodi condeclinationes ſtellarum fixarum illuſtriorum cum Sole, & præſertim procelloſarum vim coniunctionis habentes.

Nullus Aſtronomorum, qui Ephemeri-

merides in lucem edidit, descripsit in singulis diebus mensium anni ortus, & occasus, tam rectos, quam obliquos stellarum fixarum cum Sole, & multò minus condeclinationes earumdem fixarum cum Sole excogitauit describere; quamuis, vt dixi, validissimæ sint ad aëris, & Oceani commotiones. solus Maginus in Ephemeridibus suis incipiẽtibus ab anno Christi Domini 1581. in Isagogicis par.4. pag. 190. supputauit Kalendarium, quod nuncupauit ecclesiasticum, & astronomicum, iuxta Gregorianã anni Reformationem, continens festa stabilia, & mediationes Cæli, atque ortus, & occasus matutinos, & vespertinos præcipuarum stellarum fixarum cum Sole ad latitudinẽ Poli 45. secundum Coperniceas supputationes tam Solis, quam fixarum stellarum; & in eodem libro copiosum tractatum de stellis fixis, quem deindè in suis Ephemeridibus ab anno 1608. vsque ad 1630. consulto prætermisit tamquam valde à Tyconicis obseruationibus, & à vero discrepantem, vt ait in dicto libro Ephemeridum vltimo, in epistola ad Lectorẽ: præter quàm quod huiusmodi Kalendaria Astronomica in annis bissextilibus, in quibus additur dies vnus, præstare non valent diem ortus, & occasus stellarum cum Sole, etiã si calculus stellarum fixarum, & Solis esset exquisitus, nisi vltra dies singulos, etiam locus Solis sub Zodiaco singulis diebus exhibeatur.

Rursus nullus præter Maginum, ortus, & occasus stellarum fixarum cum Planetis in singulis diebus mensium anni in cunctis suis Ephemeridibus descripsit, exceptis ortibus, & occasibus earumdem cum Sole, quos semper cum cæteris omnibus Astronomis indebitè prætermisit, quamuis in dd. suis Ephemeridibus vltimis ab anno 1610. in supplemento Isagogicarum ediderit capitulum ibidem decimum circa effectus in aëre, & sublunaribus ortuum, & occasuum stellarum fixarum cum Sole, referens traditiones Ptolemæi, Plinij, & reliquorum.

Et quoniam prima & præcipua vis, & efficacia in aëris, & Oceani commotionibus annuis consuetis, consistit in ortibus, & occasibus tum rectis, tum obliquis stellarum fixarum cum Sole, vt latè testatur Ptolemæus in lib. 1. quadr. c. 7. de viribus stellarum fixarum, & in lib. 2. quadr. cap. 6. vers. stellarum autem, & potissimum secundum nouem modos ab eodem Ptolemæo exhibitos in lib. 8. Almagesti cap. 4. & vt refert Stadius ex Plinio, & Maginus ibidem in dicto cap. 10. Supplementi Isagogicarum: Propterea cum indebitè quidem, & sine ratione hucusque prætermissæ fuerint ab Astronomis omnibus Ephemeridum supputatoribus, mediationes Cæli, & ortus, atque occasus stellarum fixarum cum Sole in suis Ephemeridibus; hos ne prætermitteret in hisce suis Ephemeridibus solaribus dixi, in beneficiũ Reipublicæ literariæ, & studiosorum artium, præsertim Nauticæ, Medicæ, & Agriculturæ, vt harum artium Professores illicò videant tempora, & dies ortus procellosarum stellarum, ac pluuiosarum, veluti sunt Orion, Arcturus, Corona, Pleiades, Hyades, Præsepe, Delphinus, Capra; & extuantes, veluti duæ Caniculæ; vt huiusmodi temporum cognitione vtiliter vtantur pro suis magisterijs, vt dixit Ptolemęus late, in lib. 1. quadrip. cap. 1. ac etiam in cap. 2. vers. *Nam quatuor anni tempora, & fixarum significationes, & Lunæ positus, plurimi, & obseruant, & magna diligentia remedia opponunt, æstum leniũt rebus frigefacientibus, hyemem calefacientibus, & in vniuersum dant operam, vt temperamentorum mediocritatem efficiant: obseruant & stellas fixas ante quatuor anni tempora, & ante nauigationes: In coitu verò pecorum, & serendis plantis, Lunæ positus considerant; neque hanc diligentiam, aut impossibilem, aut inutilem esse censent.*

Hos autem ortus, & occasus, ac mediationes Cæli, atque Condeclinationes fixarum illustriorum cum Sole cò libentius supputare feci, quia non solum deseruire possunt pro harum Ephemeridum septennio, sed etiam per seculum

lum ferè, propter tarditatem motus fixarum, quæ ſingulis annis vix minutum vnum conficiunt, nempè ſcrupula ſecunda 54. ac proindè inſeruire commodè poterunt etiam ijs, qui ſingulis annis Prognoſtica tempeſtatum in lucē edunt: itemque Nautis, qui ortus, & occaſus procelloſarum ſtellarum obſeruant: nec non Medicis, qui ortus, & occaſus Virgiliarum, Arcturi, & Caniculæ ex Hippocratis traditionibus conſiderant: & Agricolis, qui eorumdem ortus, & occaſus ex Plinij, & Columellæ documentis reſpiciunt.

CAP. III.

De methodo ſupputandi motus Solis diurnos ad rationem differentiæ temporis debitæ in hac ætate, moræ ſolari in ſemicirculo Zodiaci boreali, ob prætermiſſam hanc ſupputationem in his Ephemeridibus, propter inſenſibilem diminutionem dictæ moræ ſolaris.

SILENTIO prætereūdum non eſt, Palatium ſupputaſſe has Ephemerides motuum Solis ab hoc anno 1664. vſque ad annū 1671. ad longitudinem Almæ Vrbis nulla habita ratione differentiæ temporis debitæ hac ætate ingreſſibus, lociſq; Solis ſub Zodiaco ob motum Apogæi, moramque ſolarem in ſemicirculo Zodiaci boreali inſenſibiliter fermè diminutam, & per conſequens inſenſibiliter auctam in ſemicirculo Zodiaci Auſtrali ab annis Chriſti 1588. vſque ad annos Chriſti decurrentes 1664. vt dixit Leuera in Prodromo cap. 6. pag. 171. col. 1. verſ. modica autem fit, & in cap. 9. pag. 215. col. 2. verſ. hoc autem noſtro æuo: Et in punctis Æquinoctiorum, vnde mora deſumenda eſt, vt docet idem Leuera in Prodromo cap. 9. pag. 218. & latius in cap. 13. pag. 332. col. 1. verſ. Rurſus animaduertendum eſt. Prædicta namque differentia moræ ſolaris in vtroque ſemicirculo Zodiaci, & Regionibus mundi borealibus, & auſtralibus à dd. annis Chriſti 1588. vſque ad annos Chriſti 1664. decurrentes, vix attingit ſcrupula ſecunda 16″. motus in toto ſemicirculo Zodiaci, quæ in motu diurno Solis medio non important niſi ſcrupula prima, nempè minuta ſex circiter temporis in toto ſemicirculo Zodiaci, quæ diſtributa, & dimidiata per totum ſemicirculum, inſenſibilem differentiam tum temporis, tum motus diurni Solis efficere valent: Idcircò ea neglexit, quia ſufficit loca Solis diurna ad minutum vſque motus habere exquiſita. Si quis verò ad ſecunda ſcrupula motus, loca Solis diurna habere cupiat, nimirum ad rationem moræ ſolaris in vtroque ſemicirculo Zodiaci præſentium annorum; & primò præciſa momenta ingreſſuum Solis in o. ♈, & o. ♎. & in o. ♋. & o. ♑. Id hac methodo facilè conſequetur: Etenim cum mora ſolaris in ſemicirculo, & Regionibus mundi borealibus diminuta ſit à dd. temporibus Tyconis, nempè ab anno 1588. vſque ad hunc annum 1664. in minutis ſex circiter temporis, videlicet à diebus 186. & horis 18. 30′. vt firmauit Tyco in libro 1. progymnaſ. pag. 26. ad horas 18. 24′. eademque mora ſolaris aucta conſequenter fit in ſemicirculo auſtrali ſex minutis temporis, videlicet à diebus 178. & hor. 11. 18′. ad horas 11. 24′. & propterea tempora ingreſſuum Solis in o. ♈. nūc ſint tardiora in tribus circiter minutis temporis, & ſint velociora in o. ♎. in alijs tribus circiter minutis temporis, quam fue-

fuerint in dicto anno Christi 1588. & consequenter ab interuallis motus Solis ab ♈. ad ♋. & à ♋. ad ♎. diminuenda sint tria minuta temporis, nimirum ab vnoquoque quadrante Zodiaci Boreali: Interuallis verò eiusdem motus Solis à o. ♎. ad o. ♑. & à o. ♑. ad o. ♈. addenda sint tria alia minuta temporis, nempe vnicuique quadranti Zodiaci australi. Propterea addendo tria minuta temporis dd. horis, & minutis ingressuum Solis in o. ♈. à Palatio supputatis in dd. Ephemeridibus, & demendo alia tria minuta temporis dd. horis, & minutis ingressuum Solis in o. ♎. resultabit momentum temporis exquisitum dd. ingressuum Solis in punctis æquinoctialibus ad hos annos Christi 1664. decurrentes. Per huiusmodi enim Prosthaphæresim minuitur mora in semicirculo Zodiaci boreali in sex minutis temporis, & consequenter augetur mora in totidem minutis temporis in semicirculo Zodiaci australi, vt docet Leuera in dicto cap. 9. pag. 211. vers. Sit igitur exemplum. Rursus demendo tria minuta temporis ab ingressibus Solis in o. ♋. nẽpe à toto interuallo, quod secundum Tyconis correctas obseruationes à Leuera relatas in cap. 5. Prodromi pag. 161. erat anno Christi 1588. à o. ♈. ad o. ♋. videlicet tria minuta à diebus 93. & horis 4. 20'. & à o. ♋. ad o. ♎. videlicet à diebus 93. & horis 14. 10'. alia tria minuta. Et è contra addendo tria minuta temporis ingressibus Solis in o. ♑. nimirum toto interuallo, quod erat anno Christi 1588. à o. ♎. ad o. ♑. nempe tria minuta diebus 89. & horis 10. 35'. & à o. ♑. ad o. ♈. nempe diebus 89. & horis 0. 43'. alia tria minuta; resultabit tempus exquisitum dd. ingressuum Solis in punctis solstitialibus ad rationem pariter moræ solaris competentis hac ætate, scilicet annis Christi 1664. decurrentibus.

Simili ratione exquisitum tempus, in quo Sol singulis diebus reperietur in puncto meridiei in gradibus, ac minutis, & secundis intermedijs à o. ♈. ad o. ♋. & à o. ♋. ad o. ♎. à Palatio supputatis in Ephemeridibus prædictis, habebitur primò distribuendo dicta tria minuta temporis dd. singulis locis Solis diurnis borealibus à o. ♈. ad o. ♋. eaque proportionabiliter ibi distributa subtrahendo ab ijsdem locis Solis ab eodem in meridie supputatis, & secundò pariter alia dicta tria minuta temporis proportionabiliter distributa subtrahendo ab alijs locis Solis diurnis borealibus intermedijs à o. ♋. ad o. ♎. ab eodem in meridie supputatis; & è conuerso in locis Solis diurnis australibus intermedijs à o. ♎. ad o. ♑. & à o. ♑. ad o. ♈. ab eodem pariter in meridie supputatis, distribuendo primò dicta tria minuta temporis à o. ♎. ad o. ♑. eaque proportionabiliter ibi distributa, addendo ijsdem locis Solis ab eodem in meridie supputatis; & secundo pariter alia tria minuta temporis proportionabiliter distributa, addẽdo alijs locis Solis diurnis australibus intermedijs à o. ♑. ad o ♈. illicò habebitur exquisitũ tempus, in quo Sol singulis diebus totius anni reperietur in meridie in gradu, minuto, & secundo ei competente ad rationem moræ solaris præsentium annorum in semicirculo Zodiaci tum boreali, tum australi.

Si verò vice temporis dd. ingressuum Solis, eiusque locorum diurnorum sub Zodiaco, quos Palatius in meridie supputauit, aliquis scire velit in quo gradu minuto, & secundo vere sit Sol singulis anni diebus in meridie ad rationem moræ solaris præsentium annorum in semicirculo Zodiaci tàm boreali, quam australi: Id facile quoque consequetur distribuendo proportionabiliter, & addendo octo secunda motus, locis Solis diurnis intermedijs à o. ♈. ad o. ♋. à Palatio supputatis, & pariter alia octo secunda motus proportionabiliter distributa addendo alijs locis Solis diurnis borealibus intermedijs à o. ♋. ad o. ♎. ab eodem supputatis; & è conuerso in locis Solis diurnis australibus intermedijs à o. ♎. ad o. ♑. & à o. ♑. ad o. ♈. distribuendo dicta octo secunda

motus à o. ♎. ad o. ♑. eaque proportionabiliter ibi distributa subtrahendo ab ijsdem locis Solis ab eodem in meridie supputatis; & pariter alia octo secunda motus proportionabiliter distributa subtrahendo ab alijs locis Solis diurnis australibus intermedijs à o. ♑. ad o. ♈. statim habebitur exquisitus locus Solis in gradu, minuto, & secundo, qualibet totius anni die sub Zodiaco ad rationem moræ solaris præsentium annorum. Etenim cum in semicirculo boreali diminuta sit mora solaris sex minutis temporis, vt visum est, ac proindè celerior factus sit ibidẽ Solis motus sexdecim scrupulis secũdis: ideo dicta sexdecim secunda motus distributa per dictum semicirculum borealẽ, & dimidiata, addenda sunt illi motui tardiori à Palatio supputato in dicto semicirculo Zodiaci boreali ad rationem moræ solaris tardioris in dd. sex minutis temporis. Et è conuerso demenda sunt à motu illo velociori ab eodem supputato in semicirculo Zodiaci australi ad rationem moræ solaris ibidem velocioris in dd. sex minutis temporis, vt resultet verus locus Solis sub Zodiaco vsque ad secunda scrupula ad rationem moræ solaris præsentium annorũ 1664. eosque proximè sequentium. Cum ergo, veluti hoc exemplo demõstratum est, insensibilis sit differentiũm temporis, tum motus in Sole, propter diminutionem moræ ipsius factam ab anno 1588. in semicirculo Zodiaci boreali: Ideo huius diminutionis supputationem in his Ephemeridibus prætermisit.

CAP. IV.

De vsu Tabulæ æquationum Centri Tyconis in supputationibus motuum diurnorum Solis, & quare. Ac de vsu Tabulæ 120. ingressuum Solis in puncta æquinoctialia, & solstitialia, prout in Prodromo Leueræ, & quare.

IN supputationibus motuum diurnorum Solis per Zodiacum vsus est Palatius Tabula æquationũ Centri Solis Tyconica à Leuera retenta, quia sufficientissima est ad exhibenda vera loca Solis in cũctis seculis ad minutum vsque, vt notat in cap. 9. sui Prodromi pag. 221. col. 1. quamuis in secundis scrupulis dicta Tabula nõ vndequaque satisfaciat, & præsertim in supputationibus motus Solis circa solstitia hyemalia, vbi differentia ascendit ad secunda 27. circiter motus, & sic excedendo vera tempora ingressuum Solis in o. ♑. in minutis circiter decem temporis citius, quam reuera sint secundum obseruationes Tyconicas solstitiorum, & interuallorum ab æquinoctijs ad solstitia, & secundum anni Cælestis magnitudinem veram, reuersionesq; annorum maximorum solarium à dd. obseruationibus deductas, de quibus plenè Leuera in Prodromo cap. 12. pag. 276. Ideò pro scrupulosioribus calculatoribus indigeret aliqua correctiuncula, vt dixit idem Leuera in cap. 13. pag. 316. in supputationibus solstitiorum hyemalium, licet viris discretis, & ingenuis sufficiant loca Solis diurna vera ad minutum vsque præcisè; cum ex ipso Tycone in libro primo Progymnas. pag. 28. insolens sit tàm in supputando, quàm in obseruando, adeò scrupulosè in ipsis secundis Solis cursum præfinire, quia neque vllo Instrumento perceptibilia sunt sensibus oculo-

ſorum tàm ſubtilem animadüerſionem reſpuentibus;propterea ſubdit: Secunda ſcrupula non tam aſſignantur in numeratione motus Solis, quod ita certo ſine vlla differentiola conſtare poſſint, ſed nè his neglectis in alicuius minuti, vel eius ſemiſſis defectum inuoluamur, vt etiam dixit Leuera in Prodromo dicto cap.13. pag.293.

Veruntamen pro temporibus exquiſitis introitus Solis in puncta æquinoctialia, & ſolſtitialia, quæ deſcripſit in prima pagina Ephemeridum cuiuslibet anni Palatius, vſus non eſt dicta Tabula æquationum Centri Solis Tyconica, quia proſthaphereſes dictæ Tabulæ non ſunt vndequaque exquiſitæ, & præſertim circa ſolſtitia hyemalia, vt modo dixi, & fatentur quodãmodo ſucceſſores Tyconis in appendice progymnaſmatũ pag.821. Licet Keplerus ſe ſe deindè corrigat in Ephemeridibus Rodulphinis pag.1. vt dicam infrà; ſed vſus eſt Tabula 120. ingreſſuũ Solis in puncta æquinoctialia, & ſolſtitialia,deductorum à ſelectiſſimis obſeruationibus Tyconis conſentientibus cum illis ab Hipparco, & Ptolemæo, alijſque obſeruatis, & cum anni magnitudine dierum 365. & horarum 5. m. 48'. exactiſſime; quos ingreſſus exhibet Leuera in Prodromo à pag.280. vſque ad 283.eorumque veritatem latiſſimè probat in cap.3. & 12. & 13. & vberrimè confirmatur in Dialogo contra duas Epiſtolas Apologeticas nuper edito: & quoniam dicti ingreſſus, ſeu introitus Solis in puncta æquinoctialia, & ſolſtitialia, ſunt ſupputati ſecundum meridianum Vraniburgi, vbi Tyco ea obſeruauit; redacti ſunt à Palatio ad meridianum Almæ Vrbis per additionem debitæ differentiæ temporis minutorum 9. propter differentiam dictorum meridianorum.

CAP. V.

De cauſis erroris Aſtronomorum Prædeceſſorum omnium in Ephemeridibus ſupputandis, eorumque hallucinationibus.

CVM nulli Aſtronomorũ huc vſque comperta fuerit anni Cæleſtis magnitudo vera, neque ratio ſupputandi motus ſolares cum dicta differentia æquationis Centri Solis; mirum non eſt ſi nullæ Ephemerides motuum ſolarium hactenus in lucem editæ à quibuſcumque Aſtronomis exhibuerint, neque exhibeãt locum Solis diurnum debitum eorum Kadicibus,ac Tabulis, neque etiam cõpetentem magnitudini anni ab ijſdem pręfinitæ, ſed ſemper diuerſum, etiam in minutis primis motus, neque exhibeant verum locum Solis diurnum Cęleſtem, nimirum qui congruit cum anni Cæleſtis magnitudine verà, quemadmodum exhibetur in his ephemeridibus deductis à Radicibus, & Tabulis Prodromi Leueræ ſecundum obſeruationes ſolares vethuſtiores Methonis, Hypparchi, Ptolemæi, Albategni, & reliquorum Aſtronomorum Ægyptiorũ, & Perſarum, & Lantgrauij, Tyconis, aliorumque Modernorum, vt patet in toto ſuo Prodromo. Itemque ſi nullæ Ephemerides hactenus in lucem proditæ exhibuerint, nec exhibeant veras mediationes Cæli ſtellarum fixarum, earumque ortus, & occaſus, neque de per ſe, neque cum Sole, quemadmodũ exhibentur in hiſce Ephemeridibus ſolaribus deductis à Radicibus, & Tabulis tum ſtellarum fixarum,tum motuum ſolarium eiuſdem Prodromi, ſecundum obſeruationes prædictorum omnium

Aſtro-

Astronomorum, vt plenè videre est à cap. 17. ad 20. eiusdem Prodromi. Differentia autem motuum Solis diurnorũ in Ephemeridibus Argoli supputatis secũdum Radices, & Tabulas Lõgomontani in vero motu Solis diurno, (quia non congruit cum anni Cælestis magnitudine vera dierum 365. & hor. 5. 48'. à Leuera explorata;) est primo 4. ferè minutorũ motus his præsentibus annis, in reditibus Solis in idem Zodiaci punctũ: secũdo est modo triũ, modo duorũ, modo vnius circiter minuti in motu Solis diurno, propter dictã differentiã æquationis cẽtri à nemine hactenus consideratam in supputationibus motuũ solariũ. In mense enim Ianuarij huius anni 1664. Differentia positùs diurni Solis inter has nostras Ephemerides, & illas Argoli, est sex minutorum, & inter has nostras, & Lansbergianas nuper editas à Marchione Maluasia, & à Placido de Titis, est 16. minutorum, in quibus deficiunt in motu Solis diurno istorũ Ephemerides ab his Ephemeridibus secũdum Leueræ Tabulas, & Radices supputatis; & inter has nostras, & illas Laurentij Eicstadij, differentia est trium minutorum.

Rursus mirum non est si Astronomi omnium sęculorum videntes, in Ephemeridibus supputatis secundum eorum Tabulas, motus Solis diurnos post aliquot annos ab ipsis eorum Tabulis dissentire, & differre non solum in scrupulis secundis, sed in scrupulis primis, nẽpè in minutis, ab illis locis Solis diurnis, in quibus reditum facere debuisset secundum dd. Radices, & Tabulas ab ipsis digestas, & elaboratas, & secundum anni magnitudinem ab ijsdem præfinitam, si inquam ad sustinendos huiusmodi Solis reditus in idem Zodiaci punctum in singulis cuiuslibet anni partibus, excogitauerint in æqualitatem dierum, & vnusquisque Tabulas pro æquatione dierum diuersas cõstruxerit; sed frustra semperque insufficienter, vt plene probat Leuera in Prodromo cap. 5. prefationis, & etiam in cap. 9. pag. 204. vers. æquatio vero. Et si alij admiserint æquantem Circulum post obitum Tyconis de illo dubitantis, & ambigui dum viueret, vt legitur in Appendice Progymnasmatum pag. 821. ac proinde si Tabulam æquationum Centri Solis ad minutum vsque, & amplius diuersam in motu Solis à Tabula æquationum Centri Solis per Tyconem diligentissimè elaborata, excogitauerint, & sequuti sint, veluti Maginus in supplemento ephemeridum, & deindè Argolus in Tabulis secundorum mobilium, vt hac ratione Sol singulis anni diebus reditum facere posset, vbi secũdum eorum hypotheses redire debebat: sed quidem infeliciter, tanquam contra rei veritatem, cum circulus iste equans minimè detur, & quod absurdius est prestet loca Solis magis diuersa ab ipsis locis Solis à Tycone obseruatis, atque per minutum vnum, & amplius diuersa in motibus, locisque Solis supputatis cum dicta Tabula æquationum Centri Solis Tyconica, quæ extat in pag. 60. libri primi Progymnasmatum; tum etiam quia dies omnes sunt inter se æqualissimi hor. 24. præcise, veluti contra dierum inæqualitatem existimãtes probat Leuera in Prodromo in dicto cap. 5. præfationis, & in cap. 9. pag. 204. quamuis Kepplerus protestatus fuerit scribens Magino anno 1610. die 22. Martij, vt videre est in supplemento ephemeridũ Magini pag. 262. se aberrasse in dicta Appẽdice Progymnasmatum pag. 821. & nolle suis erroribus præiudicare veritati; non reformidans, vt error iste propaletur, adeo vt si Origanus, aut quicumque alius abusurus fuerit hac sua declaratione, id non impune ferret si vixerit; & propterea huius erroris sui correctionem declarauit deindè in suis ephemeridibus Rodulphinis pag. 1. sicut protestatus fuit in dicta epistola cõtra Origanum, Maginum, & alios: Longomontanus vero Tyconis conuictor sequutus est Keplerum in suis Tabulis Danicis.

Denique mirum consequenter non est si nullę Ephemerides motuũ reliquorum omnium Planetarum à quibuscũque

que Tabulis quorumlibet Aſtronomorum ſupputatis, exhibere valeant poſt aliquos annos à dd. Radicibus, ſeu Epochis primis, ſub quibus conſtructæ ſunt dictæ eorum Tabulæ motuum, vera loca diurna planetarum omnium, nec vera loca Eclipſiũ ſub Zodiaco, aliarũq; Coniunctionum, & Aſpectuũ inuicem. Idque non ſolum propter motum diurnum Solis aberratum, vt dictum eſt; à cuius Solis motu pendet reliquorum Planetarum motus, & poſitus ſub Zodiaco; ſed etiam propter motum diurnũ reliquorum Planetarum pariter ex iſdem cauſis mutatæ diſtantiæ eorum ab Apogæo ſuo aberratum, quemadmodum motus Solis. Itemque quo grãdiori annorum numero Ephemerides remouẽtur à dd. Radicibus, & Epochis, ſub quibus cõſtructæ ſunt Tabulæ eorũ, eo magis erronea fiunt loca diurna Planetarum omnium ijſdem de cauſis; fruſtra excogitatis, ab Aſtronomis Tabularũ Auctoribus, diuerſis inæqualitatibus æquinoctiorum, & obliquitatis eclipticæ, ſeu declinationis Solis ab æquinoctiali, vt dixit etiam Leuera in Prodromo cap. 2. pag. 93.

CAP. VI.

De faciliori methodo, & praxi ſupputandi Ephemerides motuum Solis, vbi examinatur cauſa præcipua hallucinationis Aſtronomorum in ſupputatione Ephemeridum per Tabulas mediorum motuum.

DENIQVE prætermittendũ non eſt, ad expeditiorem, & faciliorem ſupputationẽ Ephemeridum Solarium per Tabulas mediorum motuũ; quod ſi quis ſupputare velit eas pro annis tam futuris, quam præteritis ab anno Chriſti 1588. vbi eſt Radix prima Tabularum mediorum motuum, & Apogæi Solis Leueræ; videlicet per ſeculum circ. tam ante, quam poſt dictos annos Chriſti 1588. ſufficit ſola æquatio centri ſũpta tum à longitudine media loci Solis, qui quęritur, tum à loco apogæi eiuſdẽ de tempore conſtructionis dd. Tabularum ſcilicet anno Chriſti 1588. dimiſſa ſupputatione differentiæ ęquationis cẽtri ſumpta ab eadem longitudine media Solis, qui quęritur, & à loco Apogęi de tempore eiuſdẽ loci Solis, qui quęritur; & ratio eſt quia euariari nõ poteſt motus diurnus Solis, donec fiat ſenſibilis varietas, vel moræ ſolaris in ſemicirculo Zodiaci, & Regionibus mundi borealibus, & auſtralibus, vel loci apogęi, vel vtriuſque: Immo quando facta quoque eſt ſenſibilis varietas in motu apogæi Solis per plura ſigna Zodiaci; Tabulæ mediorum motuum Solis præſtare quoq; valẽt quælibet loca Solis quæſita cum Apogæo radicali ipſarũ Tabularũ, eandemque prorſus reuerſionem annuã Solis in idem Zodiaci punctum ſemper poſt dies 365. & horas 5. 48′. quoniam nullus motus apogęi Solis per Zodiacũ, quamuis maximus, euariare vnquã poteſt motum Solis annuũ, vt plenè probat Leuera in Prodromo c. 2. pag. 93. & c. 5. pag. 158. & c. 6. pag. 173. Tamen quia magna mutatio Apogæi, moræque ſolaris in ſignis Zodiaci, Regionibuſque mundi borealibus, euariare poteſt motũ Solis diurnũ, nempe motũ illum, qui fit ſingulis annis intra annuã Solis reuerſionem in idem Zodiaci punctum; Idcirco Tabulæ in magna Apogæi, & moræ ſolaris mutatione contingente poſt plurima ſecula, prẽſtare non valent motum, poſitumque Solis diurnum tunc temporis vere competentem illi moræ ſolari, illique ſitui apogæi, & perigæi ſolaris, nimirum velociſſimum ibi in peri-

